

Actionum humanarum adminicula, virtutum calcaria:  
*Sine Affectibus enim languet omnis actio, & vis ac vi-  
 gor animi solvitur, ut dicit Seneca lib. 1. de Ira, cap.  
 7. Hinc Philippus Melanchton Epit. Phil. Mor. pag. 52.  
 Affectus, inquit, sunt actionum humanarum adminicu-  
 la, virtutum calcaria, ne velut truncus, velut segnis torpe-  
 at asinus: ut enim equus per sese velox facilius incitatur; ita  
 facilius regit ratio voluntatem, quæ adjuvatur & extimula-  
 tur à bono affectu. Imò ita demum fit perfecta virtus, cum  
 voluntas & affectus pariter rationi obtemperant. Quare  
 sciendum est, non omnes affectus pugnare cum virtute; sed  
 quosdam esse virtutum incunabula seu adminicula. Hactenus  
 Melancht. Heereboord. Coll. Eth. disp. 13. p. 58. Finis, in-  
 quit, affectuum est actionum alacritas: quicquid enim sine  
 affectu fit, segniter fit, remisse & cunctanter: at quod cum &  
 ex affectu fit, promptè, alacriter, expeditè efficitur atque pers-  
 agitur. Quia ex sapienti Numinis consilio animus humanus  
 in corpore esset commoraturus, indidit homini Deus hanc af-  
 fectuum facultatem, ut iis veluti quibusdam stimulis ac cal-  
 caribus excitaretur ad bonum, iisdem veluti freno cohibere,  
 ne in noxia rueret.*

THESES. XV.

Malè itaque faciunt Stoici, qui ex naturâ affectus  
 deturbare, mediocritatem eorum rejicere, & tanquam  
 morbos animi exulare in universum à viro Sapienti vo-  
 lunt, ut refert Lactantius Inst. lib. 6. c. 14. Sunt enim in-  
 strumenta quædam virtutis exercendæ. Deinde natura-  
 les sunt hominibus affectus, quomodo igitur ab hominis  
 alicujus animo extirparentur? Imò verò qui affectus tol-  
 lit, virtutes ipsas tollere videtur. Nam si virtutis est, in